


ACTA ET DECRETA
SYNODI DIOECESANAE
PISTORIENSIS

an. MDCCCLXXXVI.

P A R S . I .
COMPLECTENS
ACTA ET DECRETA



T I C I N I
Sumptibus Balthassaris Comini

Censoribus rei litterariorae probantibus.

anno MDCCCLXXXIX.



SCIPIO DE RICCIIS

DIVINA MISERATIONE

PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS SUIS VE-
NERABILIBUS FRATRIBUS UNIVERSIS IN SA-
CERDOTIO COLLEGIS ET IN PASTORALI
MINISTERIO ADIUTORIBUS

IN CHRISTO IESU

SALUTEM ET BENEDICTIONEM



Quibus rebus iure factum sit, ut nostrae Diocesanae Synodi Constitutiones hactenus editae in lucem nequaquam fuerint, neminem vestrum latet, Venerabiles Adiutores Fratresque mei. Mihi enim potissimum curae fuit, ut per litteras iam X. Kal. Apt. anno superiore datas atque hic subiectas certiores vos de omnibus facerem. REGIA CELSITUDO, sapientissimus ille pientissimusque Princeps, cuius imperio regimur et gubernamur, omnium nostrum implere vota dignatus est. Data a Principe facultas, quam meis hisce litteris adiicio, in causa est, ut non sine ingenti animi mei solatio ac voluptate

A

ty-



SESSIO PRIMA

XIV. KAL. OCT. HABITA AN. 1786.

Cum universi, quorum erat iure vel consuetudine ad Synodum accedere, mane hora octava in Ecclesiam S. Leopoldi convenissent, alter ex Scribis Episcopalibus eorum omnium, qui convenerant, album confecit, in eumque retulit tum eos, qui non interfuerunt, tum eos, qui cum per se ipsi venire non potuissent, alios a se delegatos misserunt, eos demum Sacerdotes, qui accedendi ad Synodum facultatem postularunt,


Albo confecto Synodi Patres veste talati, superpelliceo, et ut aiunt *Rocchetto* induti, cum stola rubri coloris super laevam plicata, et operto capite ab Ecclesia S. Leopoldi discedentes, praecuntibus altero ceremoniarum magistro et memorato superius Scriba, nullis accensis cereis facibus, sine Cruce et cantu ad Ecclesiam S. Francisci, quae dicitur *al Prato*, se contulerunt.

Interim Episcopus palliolo vulgo *Mozzetta* induitus cum suis familiaribus Presbyteris ad eamdem S. Francisci Ecclesiam venit; quo cum pervenissent Synodi Patres, eorum adventu per ceremoniarum magistrum nunciato, Episcopus ad Altare accedens et Synodi Patribus salutatis in Faldistorio sedet, ibique una cum Diacono et Subdiacono sacris rubri coloris vestibus indutis, eas recitavit precatio[n]es, quas sese ad Missae celebrationem dispo-

ACTA ET DECRETA
SYNODI DIOESESANAЕ
P I S T O R I E N S I S

an. MDCCLXXXVI.

P A R S I I.
C O M P L E C T E N S
APPENDICEM MONUMENTORUM



T I C I N I
Sumptibus Balthassaris Comini

Censoribus rei litterariae probantibus.

anno MDCCCLXXXIX.

APPENDIX

SYNODI DIOECESANAE

PISTORIENSIS

HABITAE ANNO 1786.

N. I.

Edictum de Extravaganti: Ambitiosae.

Illustrissimus D. Auditor Regii iuris Secretarius hoc Regium Edictum, Magno iubente Duce, mandat publice proponendum.

Cum REGIA CELSITUDO intelligat ex supra suim et ipsius voluntate pendere ius constituendi solemnitates necessario servandas, ut rati sint quicumque contractus in eius ditione celebrantur; eas vero solemnitates quae in per vulgata iam apud omnes Extravaganti: *Ambitiosae*, praescriptae sunt, ut in contrahendis Ecclesiac bonis iustitiae et utilitati cautum esset, nihil amplius esse quam meras formulas, privatam utilitatem unice spectare, commercii libertati impedimento esse, et inanibus Subditos exhaustire sumptibus; denique per mandata Non. Mart. An. 1773. VII., Id. Octob. An. 1779. et postridie Id. Ian. An. 1783. edita, in huiusmodi contractibus ineundis iustitiae et utilitati aequafuisse consultum ac fieri per Magistratus solet in contractibus Impuberum et Pupillorum, ita ut nihil detrimenti inde capiant Ecclesiae, et alia pia loca, quorum REGIA CELSITUDO eam rationem haber, ut sui praeccipue muneris esse putet eorum praebere se patronum ac vindicem; cumque sua certissime perfici ab omnibus mandata velit, haec praeterea edicit atque imperat.

A

t, Ut